



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Gvilielmvs C. 6. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

176 VITÆ SÆCTORVM. 6. April.

nacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibata virginitate, inde educta est, & in montem ablata, extra teli quidem Cupidinis jactum, non æquè tamen furentis adhuc Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter inseguente, eminus sagittâ transfixa est volens lubensque, & amorem suum Numini saucio pectori testatura, mox in ejus complexum à cælestibus Paronymphis domum, id est cælum, deducta; anno salutis CCC. IV. Ex Actis S. Anastasiæ.

Mox ut germinare incepint sœda cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordus sui IESVM cupit habere possessorem, virilem super se adhibeat custodiam, quâ nec seducatur nec alliciatur. S. Laur. Iust. de Cast. Conn. c. 33.

S. G V I L I E L M V S C. 6. Aprilis.

G VILEIMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorrebat à disciplinâ pius animus, quâ comite feliciter in literis progressus, facile superabat æmules, quibus ob morum integratatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perfervens, nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectori ipsis jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurseret, monente tandem severius Odone abbatte, & objectâ Christi crucifixi in vitrâ fenestrâ depicti Specie, pectori ejus faces subdente, in religiosam se familiam recepit, in quâ cælestibus promissis acfensus, ita probavit aliis, ut Roschildenibus præficeretur Abbas. Et quia pii omnes adversis

exer-

exercentur, nequaquam ab iis vir sanctus eximus fuit, cæli nihilominus deliciis sustentatus. Gravius decumbenti S. Genovefa virgo solamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noster, Sanctis comitatus, conspicuum se fecit, scilicet ne mortis larvâ terroretur. Cælum Anno M.CC. II. subituro paratum solium ejus discipulis vidit, coronamque rarum opus & Angelorum manibus elaboratū; sed gemmas Gyttelius suppedavit, virtutes suas, quarum nos nomina fortasse scimus, & subinde de pretio disputamus, sed subterfugimus patientiæ scalpellum, sine quo nulla gemma cælatur. Ex Surio.

*Christus sit confabulator tuus: Christus sit contubernalis tuus & convivax; imo Christus ipse sit tue delicia; ipse quotidiane refectionis ejus lumen; ipse tibi sit intime dulcedinis alimentum. S. Pet. Dam. l.7. Ep. 6.*

S. CALLIOPIVS MART. 7. Aprilis.

**C**ALLIOPIVS eximiâ sanctitate juvenis ad agenda Liberalia ab impiis invitatus, liberè abnuit, nefas esse Christianis dictitans, insanire cum ratione. Praefectus urbis Maximus extrema primùm communiatuſ, cùm nihil objectis terroribus profecisset, versus ad blanditias, velut in dæm invitationemq; sceleris filiæ matrimonium promisit. Eam conditionem generosius etiam respuentem plumbatis contundi nervisque crudis fœdè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ cultris obarmata, rogoq; juxta validè flammante. Vtiusque tamen metum discussit Angelus, qui & ignem oppressit, & rotæ volubilitatem conversio- nesque stitit. Theoclia mater, auditō filii casu, in

H 5

carce-